

potentia seu non repugnantia peccati, sic ut tantum voluerit Christo ratione dignitatis personalis repugnare omne peccatum. Quoad parvulos sine baptismo mortuos demonstrat, eos pati poenam damni, non tamen poenas sensus, eosque non tristari de hac privatione beatitudinis, quam non multum apprehendant, et esse incarceratos in aliquo subterraneo inferni loco. Cap. quintum agit de diversis speciebus legis, de obligatione ejus et desitione; cap. sextum de gratia et justificatione, in qua pertractatione plurimum respicit ad S. Augustinum, cujus doctrinam multis verbis exponit. Quoad efficaciam gratiae quatuor illas sententias affert, et illam Jesuitarum ex edictis Summorum Pontificum contra adversarios tuetur.

Omnia, quae pertractantur, clare et perspicue sunt proposita et solide probata, lingua latina pura est et facilis intellectu. In volumine secundo indicem materiarum desideramus. S.

Histoire du Cardinal Pie, Evêque de Poitiers,

par Mg. Baunard, prélat de la maison de sa Sainteté (1886), 2 in 8° de 600 p. chacun. — Paris. — Oudin. Prix: 15 frs.

Post *Pium Nonum*, qui *Magni* titulo iam insignitus est, alter Pius non agnomine sed cognomine, nempe Eduardus Pie, Cardinalis, Episcopus Pictaviensis, nulli forsitan inter illustriores huius aetatis viros secundus aestimari debet; quippe quem Ecclesia in Concilio Vaticano congregata Praesulum exemplar et theologorum apicem salutavit et laudavit.

Insuper eundem episcopum noster Ordo studiosissimum habuit fautorem et propagatorem. Quocirca de eius rebus praeclare gestis simul ac de eius biographo aliquid hic dici non ingratum fore existimavi.

Christianis sed pauperibus parentibus apud Carnutes ortus anno 1815 Eduardus intellectus acuitate ac pietatis affectu ita a puero enituit, ut post emensum cum summa laude humaniorum et theologorum studiorum cursum vix sacerdotio initiatus inter familiares Episcopi Carnotensis cooptari meruerit eiusque adiutor coeperit existere (1843). Deinde triginta quatuor annos solummodo natus ad infulas Pictavienses promovetur (1849) ibique prae doctrinae et sapientiae merito tanquam novus Hilarius effulget. Quinimuro (?) adunatur synodus oecumenica Vaticana (1870) Hilariique successor in ea primas partes tenet, praecipue quando de definienda Romani Pontificis infallibilitate tractatur. Quam ob rem bene meritum Praesulem inter Romanae Ecclesiae Purpuratos annumerare gavisus est Leo Tredecimus, qui hodie tam sapienter Ecclesiam Dei regit et gubernat (mense Mai anni 1879); sed

proh dolor! vix uno anno elapso invida mors terrae rapuit tam splendidum lumen, iam coelo maturum. Clariora sunt luce eximii doctoris scripta, praesertim oratoria et theologica (10 vol. in 8^o). In quibus elucubrandis multum adiumenti accepit auctor a frequenti epistolarum et colloquiorum commercio, quod habuit cum doctissimo Domino Prospero Guéranger, Abbate Solesmensi et Ordinis S. Benedicti in Gallia instauratore. Unde grati animi memor Eduardus Pie, statim ut cathedram Pictaviensem ascendit, nihil antiquius habuit quam erectionem novi monasterii Benedictini. Quod votum feliciter exsecutus est (1853) apud Locogiacensem vicum, domo S. Martini resarcita et mox ad abbatialem gradum erecta. Eodem aliunde paterno affectu ac potenti iuvamine prosequeretur episcopus Pictaviensis alias religiosas familias; nam Canonicis S. Augustini, Dominicanis, Jesuitis etc. domos et munera libentissime largitus est, eosve multiformiter adiuvit. Hic insuper commemorandum esset, quidquid fidelis ille et prudens dispensator strenue et constanter suscepit ac sustinuit ad fulciendam Ecclesiam Dei eamque tuendam contra quoslibet impugnatores sive principes seculi, sive falsi nominis scientia praeditos. Sed deest mihi pagina. Adeat lector, si habet ipsum librum, de quo hic sermo. Nam omnia, quae supra commemorata sunt, et multa alia dilucide et luculenter recenset et narrat pius et sapiens biographus, theologicâ doctrinâ et aliarum tractationum merito iam notissimus. Profecto optandum est, ut in varias linguas et praesertim in Germanicam vertatur Eduardi Pie, Cardinalis Pictaviensis, Vita: quippe quae tractatio multum conferet tum ad iuventutem in spiritu intelligentiae ac pietatis erudiendam, tum ad historiam nostrae aetatis ecclesiasticam recte componendam.

D. Beda Plaine M. B.

Literarische Notizen.

I. Die göttliche Komödie und ihr Dichter Dante Alighieri. Von Gerhard Gietmann S. J. Freiburg im Breisgau. Herder'sche Verlagsbuchhandlung. 1885. S. IX. und 426. — Es war an der Zeit, dass sich auch in Deutschland die katholische literarhistorische Kritik endlich des eminent katholischen poetischen Kunstwerkes bemächtigt hat. Der neuesten Zeit verdanken wir zwei derartige Werke, die in dieser Art hervorragend zu nennen sind. Ich meine die schätzenswerthe, im Jahre 1880 zu Freiburg i. Br. erschienene Charakteristik der »Divina Commedia« von Hettinger und das vorliegende Werk. Dieses bildet die erste Hälfte des ersten Theiles eines grösseren literarisch-kritischen Unternehmens: Klassische Dichter und Dichtungen; der erste Theil soll »Das Problem des menschlichen Lebens in dichterischer Lösung: Dante, Parzival und Faust, nebst einigen verwandten Dichtungen« behandeln. Die Anlage ist gewiss grossartig, und die glückliche Durchführung nicht minder mühevoll als wünschenswerth zu nennen. Die Behandlungsweise Gietmanns unterscheidet sich wesentlich von der Hettingers. Während dieser den Gedankeninhalt des Gedichtes unter